

From H. von der Hardt (ed), *Historia literaria reformationis*, 3:11-17.

De corrupto ecclesiae statu sermo 3.  
habitus in concilio Constantiensi anno 1415 dominica 17. post Trinitatis  
ex manuscripto Erfurtensi.

Mundamini qui fertis vasa Domini; verba haec originaliter scribuntur Esa. 52. scribuntur etiam ad literam 1. questione 1. capitulo 93: Necessse. Apteque proportionantur principio epistolae dominicae currentis, Ephes. 3. ubi Apostolus ait: Obsecro vos, fratres, ego vinctus in Domino, ut digni ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate, mansuetudine et patientia, supportantes invicem in charitate, sollicitate servate unitatem Spiritus in vinculo pacis etc.

Patriarcha siquidem Iacob, convocata omni domo sua, ait: Abiicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, ac mundamini, immutate vestimenta vestra, Genes. 35.

Reverendissimi patres, et domini praelate, caeterique clerici in communi. Quia convenistis et convocati estis in hac sancta synodo, cuius nomen ex Graeco communitas seu coetus interpretatur, Isidorus libro 6. Ethimologiae capitulo 7., et 15. distinctione canones. Et recte synodus personis ecclesiasticis convenit: Quod, ut idem Isidorus ait, libro 9. Ethimologiae capitulo 1. In hoc etiam differt a synagoga, quod ecclesiae est suos convocare, synagogae vero congregare. Congregari enim pecora solent, quorum et greges proprie dicimus, sicut sunt Iudaei: Convocari autem magis est in utentibus ratione, sicut sunt homines.

Diligenter ergo et attente ad ea, propter quae ipsa sancta synodus a patribus est instituta, animadvertere, et ea sollicitate servare debemus.

Alioquin modicus huius sanctae synodi erit profectus, dicente Philosopho 2. Ethicorum capitulo 2: Multi iusta et bona non operantur, rationem autem fugientes aestimant philosophari, et sic fore studiosi, id est virtuosi. Simile aliquid patientes laborantibus, id est infirmis, qui medicos quidem audiunt studiose, faciunt autem nihil eorum, quae praecepta sunt. Quemadmodum igitur neque illi bene habebunt corpus, ita curati, neque isti animam, ita philosophantes. Haec ille.

Sancta quippe synodus ad hoc videretur primum instituta et nunc, ut defectus clericorum et negligentiae praelatorum per dioecesin et provinciam corrigantur, 18. distinctione, capitulo: Provenit. Et ut ipsis convocatis statuta seu praecepta sanctae matris ecclesiae recte disposita promulgentur. Ne praetextu ignorantiae transgressores excusentur, libro: Nemo clericus, capitulo: De summa Trinitate et fide catholica.

Mihi vero, cum sim iuvenis, et in acie certaminis ecclesiastici revera minimus, nihil correptionis in seniores vos venerabiles dominos meos proponere licet, Apostolo teste 1. Tim. 4: Senioresem ne increpaveris. Et 2. quaestione 7: Paulus dicit, quod emendare seniorum sit et corrigere, libro: Unica, capitulo: De emendendo propinquo. Semper enim magis praesumitur de senili aetate, quam iuvenili, libro: Si chorus, capitulo 1: De legatis 3. Athletas tamen iuvenes Vegetius De re militari iubet fortioribus admisceri. Hinc est, quod lex ait in Authentica: Ad monachos, capitulo: Cogitandum, collatione 1. Iuvenibus crescit zelus ad virtutem, si cum senioribus constituentur. Fiet enim seniorum conversatio iuventutis educatio perfecta. Exercitium namque largitur promptitudinem, libro: Legatis servis, capitulo: Ornatricibus de legatis 3.

Possim igitur vobis senioribus seniorum munia salutaria proponere, et tanquam minor ea, quae iuris sunt, recitare, nota in libro: Dedi, capitulo: Causam.

Et propter hoc absque legum et canonum sententia de verbis propositis non disseram. Ut sit eis potius credendi autoritas, mihi que solum recitandi facultas. In Authentica: De trinitate, capitulo: Consideramus, collatione 3. Quamvis mare magnum et spatiosum divinae scripturae, ac in studia philosophica, non ut transfuga, sed ut explorator, aliquoties descendam. Dicente venerabili Seneca ad Lucillum epistola 2. Philosophia enim, ut ait Macrobius libro 3. Saturnalium, quae de singulis rebus sollicitè tractat, nulli aetati, sexui aut conditioni deesse debet.

Me igitur in hac multitudine permixta atque diversa, ubi aetas et institutio varia est, vestra charitate benigne sustinebitis et patienter audietis, libro: Proxime, capitulo: De his quae in testamento delegantur. Quamquam dicat Aristoteles 7. Politicis cuius non modica in lege est autoritas, et in libro: Si pater, capitulo: De solutionibus, iuvenes a colloctionibus propter inexperientiam fore prohibendos.

Cum ergo moris sit usitati et religionis sacratissimae, in omnibus maximis seu minimis rebus aliquid acturum ad divinum auxilium decurrere, libro 1: In principio, capitulo: De veteri iure enucleato; invocandus est, et pater omnium rerum, quo praetermisso, nullum rite fundatur exordium, Boetius De consolatione philosophiae, prosa 9. Ut de supernis suae maiestatis sedibus cordibus nostris gratiae suae lumen infundere dignetur. Lumen enim ab inferioribus non est, libro: Lumen, capitulo: De servitutibus. Dicendo cum eodem, ubi supra metrico 9:

O qui perpetua mundum ratione gubernas.

Et post:

Da, Pater, augustam menti conscendere sedem.  
Da fontem lustrare boni de luce reperta.  
In te conspicuos animi defigere visus.

Sed quia omnes peccavimus in Adam, Rom. 5. Iniquitatem autem si aspexerim in corde meo, non exaudiet Dominus, Psalm. 65. Ideo gloriosam virginem Mariam, quae Dei Patris Filium sancti Spiritus obumbratione concepit, et virginitatis gloria permanente, aeternum lumen mundo effudit, [p. 12] 70. distinctione, capitulo: Sanctorum: quae etiam vere et proprie Dei mater dicitur, non quia Deus verbum principium ex ea sumserit, sed quia in ultimis diebus de coelis descendens ex ea incarnatus et homo factus sit, libro: Victorum versus omnes vero sacerdotes, capitulo: De summa Trinitate et fide catholica. Mente devotissima invocemus pro nobis interpellantem, ut quicquid minus est, per nos ultimos servos suos restituat in nomine suo Deus, et dignos nos faciat servitium eius adimplere, capitulo: De officio praefecti praetoris Africa libro 1. post principium. In Deo igitur spem ponimus, scientes, quod ipse nobis omnibus dat salutem, in Authentica: De privilegiis doctorum, principio, collatione 8. Qua, inquam, spe eam angelica salutatione salutantes, dicamus: Ave gratiae plena.

Nunc fortuna prosperante pergam iter institutae orationis. Oratio quippe proposita loco thematis fuit haec: Mundamini qui fertis vasa Domini, posita ubi supra.

Igitur primo qualiter ab exordio instituti sunt ferentes vasa Domini, dignitatis excellentia, succincte narrabo. Deinceps de qualitatibus et oneribus eorum, similiter, et in quibus fuerunt mundandi, compendiose iuxta maioris sententias explicabo. Ut rite concludere valeam: Mundamini qui fertis vasa Domini.

Quoniam, praestantissimi domini mei, cum in uno quoque genere aeternum sit, dare unum, primum, optimum, et simplicissimum, quod sit metrum et mensura

omnium aliorum illius generis, a quo coelum dependet et tota natura, dicente Aristotele, *Mechanicae*: Bonum quoque totius universi consistat in ordine, ut idem 12. *Mechanicae* et in libro 1. Capitulo: De executione rei iudicii. Deus gloriosus, omnium visibilium et invisibilium creator potentissimus, microcosmum, hominem videlicet, quem ad eius imaginem formaverat, perfecto dono scientiae, rationis et consilii eundem venustans, tanquam inferiorem mundum, ad similitudinem macrocosmi, mundi superioris, disponit gubernari. Microcosmus enim, rationabiliter se habet ad rationem microcosmi, 8. *Politicis*. Et quemadmodum in microcosmo entia nolunt male disponi, nec est ibidem principum pluralitas, imo est ibidem princeps unus, 12. *Mechanicae*, et in libro: Victor post principium, capitulo: De summa Trinitate et fide catholica. Ita et in microcosmo, hoc mundo inferiori conformiter erit unitas regiminis unitas principantis. Erit ergo unus pastor et unum ovile, epistola in claras capitulo: Etsi.

Et sicut in homine in se apparet duplex principatus quorum tamen alter alteri est subalternatus, et sic ordo principatum universi, puta, potentiae sensitivae, ad vires suas inferiores, et ipsius potentiae intellectivae, ad potentiam sensitivam, et omnes vires corporales, iuxta Philosophum 2. *Ethicorum*: Ita et in microcosmo, hoc mundo inferiori a parte naturae legis et gratiae duplex in humano genere principatus reperitur, sacerdotum videlicet et secularium, quorum alter tamen alteri merito subalternatur.

Hi siquidem duo principatus ex uno eodemque principio divina providentia humanam nedum exornant, sed manu tenent vitam, ut in *Authentica*: Quomodo oportet episcopi, clerici, in principio, collatione prima. Et licet duo videantur, unus tamen sunt, ratione finis quem intendunt. Ordinati enim sunt in quietem suis subditis. Ut in laudem et magnificentiam Dei cuncta gubernent et procurent. Rex enim vult esse custos iusti, et qui possidet substantias, nihil iniustum patiat: populus autem nullam sustineat iniuriam, libro 1. capitulo: De iniuriis. Erit autem sicut populus, sic et sacerdos, libro: Digna vox, capitulo: De legibus.

Quemadmodum igitur in statu secularium sunt varii gradus hominum, ut puta urbanorum praediorum habitatores, mercatores, magistratus, milites, comites, barones, et duces, singuli enim suis vacant officiis, libro: Consulta divalia, capitulo: De testamentis.

Et princeps quidem noctes ducit insomnes, et voluntarios assumit labores, ut subditis suis praeparet quietem, ut in *Authentica*: Ut iudex sine quo sufficienter, in principio, collatione 2. Armis etiam vacat et legibus: Ut utrumque tempus, pacis et bellorum, recte possit gubernari, ut in proemio *Institutionum*: De caeteris transeo.

Ad principatus sacerdotum venio. In quo gradus sunt multiplices: summus pontifex, archiepiscopi, episcopi, praelati, ecclesiarum seu populi rectores, presbyteri, diaconi, subdiaconi, et caeteri clerici.

Hi sunt ad quos est verbum: Mundamini qui fertis vasa Domini.

Vos ergo, venerandi domini praelati, rectores et clerici, estis, qui fertis vasa Domini. Non vasa aurea vel argentea, qualia dedit Eliezer Damascenus Rebeccae, Genes. 24. Nec vasa iniquitatis, ut Simeon et Levi, Genes. 49., sed geritis vasa electionis, ut Apostolus Actor. 9., et fertis vasa Domini Sabaoth, Numer. 3. Applicabis tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei et exturbent et observent, quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, et custodiant vasa tabernaculi.

Haec sunt vasa sancta, quae exsolvuntur pro delicto, quae aquam sanctam continent, quae gloriam Domini insumunt, quae dispensationem corporis et sanguinis dominici exhibent. Plurima vasa altaris plurimum ministerium et singulorum aliud et

aliud officium insumunt. Nam in magna domo non solum sunt vasa aurea vel argentea, sed et lignea et fictilia, 1. Timothei 2.

Unusquisque ergo vestrum sciat hoc et cognoscat vas suum possidere, id est officium suum adimplere, ad sanctificationem, 1. Thessal. 4. Omnia enim vasa haec sunt de lapide pretioso. Lapis hic est Christus Deus noster.

Christus namque unigenitus Dei filius, qui non a Deo patre distinguitur alia nota adiecta, nisi qua genitor ab eo, qui genitus est, libero: In suis, capitulo: De liberis et posthumis. Imminente suae passionis tempore, sumta coena, electis suis, vobis, inquam, sacerdotibus testamentum disposuit. Volens ex suo testamento, ut dignum erat, pensatis dignitatum oneribus, vos ipsos aliqua habere praecipua, libro: Nec cont., capitulo: De collatione bonorum. Ipse namque dedit eis triticum, vinum et oleum: triticum, videlicet, quando sub panis et vini speciebus corpus suum in cibum et sanguinem eius in poculum tribuebat. Oleum etiam dedit, quando commisit venerandos sacerdotes oleo sancto in eorum manibus, ut sacrificatis officiis, more Aaron, rite fungerentur, [p. 13] consecrandos. Sicque vobis inposterum hoc sacramentum in sui commemorationem reliquit, libro: Libenter, in fine, capitulo: De verbo signis.

Christi ergo, o vos sacerdotes venerandi, a fructu frumenti, vini et olei, instituti estis et multiplicati, Psalm. 4. Vos enim praecipue tunc instituti, quando se ipsum Deus et homo hostiam sacrificans etiam sacrificium se obtulit et donavit, vobisque claves tradidit ligandi atque solvendi. Sacerdotes namque regni coelestis possessionem receperunt clavium traditione, libro: Clavibus, capitulo: De contrah. emtion; imo Dominum, libro: Traditionibus, capitulo: De pactis. Et quamvis longe antequam venisset plenitudo temporis, misso desuper Dei filio in terram ante secula genito, sacerdotium vigeat in sacrificiis; incepit tamen sacramenta Christi frequentare per mortem Christi ex clavium potestatis traditione. Testamentum enim a morte testatorum capit vires, libro: Si alieni, capitulo: De haeredibus instituendis. Sicque translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat, ut Extra, distinctione constit., capitulo: Translato.

Mira siquidem ostenditur sacerdotii dignitas. Quia neque agricola, neque bunensis sacerdotes constituendi, 2. Politicorum 13. capitulo, sunt enim sacramentorum tractatores. Sacrisque vacare sacerdotes oportet, libro: Non distinguemus, capitulo: Sacerdotio, De arbitris. Vacant enim sacerdotes et curatores eorum, quae sacra sunt, libro 1., capitulo: De iustitia et iure.

Vos ergo, o venerandi sacerdotes, divinis characteribus mirabiliter estis insigniti per ordines sacros rite susceptos, quibus Deo reverenter ministratur. Perpendite, quaeso, ne nomen suscepti ordinis mereamini amittere. Quia si priveris, nec nomen habere mereris, libro: A nullo, capitulo: De feriis.

Vos estis presbyteri, prae aliis ituri. Vel Graeca etymologia: Seniores, id est digniores. Presbyter enim Graece, Latine senior interpretatur, non pro aetate vel decrepita senectute, sed propter honorem et dignitatem, quam acceperunt. Ita nominantur per Isidorum 7. Ethimologiae, capitulo 12. Et est ratio. Nam in politia optima decet honorare sacerdotes, qui propter eorum dignitatem a publicis muneribus sunt abdicati, libro: Neminem, et libro: Sacrosancta, capitulo: De sanctibus ecclesiae, et libro: Presbyteri, capitulo: De episcopis et clericis.

Et ideo lex sacerdotes constituit maturae aetatis, ut in Authenticia: De sanctis episcopis, capitulo: Presbyterum, collatione 9., et in libro: Nulla, capitulo: De episcopis et clericis.

Maximo igitur honore digni sitis, o venerandi sacerdotes. Licet enim aetas plerisque deficiat, non tamen dignitas, sine publici officii genere etiam magistratibus praefertur, libro 1., capitulo: Publicum, collatione: De iustitia et iure.

Vos estis, o sacerdotes eximii, divinorum mysteriorum soli dispensatores, oculatissimorum operarii. Quia sacramenti a seculo absconditi tractatores. Magnum vestrum est posse, mirabilis nimiamque stupenda conditio. Nam verbis, autoritate vobis a summo autore concessa, substantias rerum panis et vini immutatis. Pro vestra igitur dignitate a Deo vobis maxima bona dabuntur. Nam ea, quae sunt, firma habebimus, et quae nondum hactenus eveniunt, acquirimus, ut patet in Authentica: Quo oportet, de episcopis et clericis, circa principium, collatione prima. Per plurima ergo dignitas vestra est. Quoniam ex gradu honoris potentis, circa principem ambulare, libro: Iurisperitos, capitulo: De excusat. tutor.

Vos estis sanctuarium Dei, quibus etiam arcana, occulta videlicet and incerta sapientiae suae sunt commissa, dicente Catone: Mitte arcana Dei coelumque inquirere quid sit.

Hinc vobis videtur sedes prior, locus circumspectior, distribuendi, loquendique facultas antiquior, curiae coelestis splendor, adepti magistratus dignitas vetustior, capitulo: De praepositis sacrasti, libro 5, libro 12.

Vos etiam mediatores Dei et hominum, deferentes pro populo Deo orationes devotas, et acceptabiles hostias. Quia interest, ut sint sacerdotes, per quos peccatorum veniam impetremus, ut in Authentica: Ut li. ma., capitulo: Quia, collatione 8.

Vobis thesaurus ecclesiae, ecclesiasticorum sacramentorum dispensatio, commendatur, ut captulo: De edilis, libro 2, libro 12.

Quapropter, 1. Petr. 2. extollitur dignitas vestra: Vos estis genus electum, regale sacerdotiam, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes eius annuncietis, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

Vobis etiam, domini mei, sacerdotes venerandi, datae sunt claves regni coelorum claudendi et solvendi, iuxta beatum Gregorium in homilia. Quod modo ore Salvatoris soli Petro videbatur concessum, Matt. 16. Linguae siquidem vestrae factae sunt claves, portasque regni coelestis aperiunt, libro: Officium, capitulo: Fin., collatione: De testamento militari. Et sicut scientiarum altera haec est dignior, quae est de nobiliori obiecto, primo de anima: Ita et dignitas officiantis. Non enim quilibet quolibet honore est dignus. Sed est quaedam proportio inter honorem et honoratum, libro 2., capitulo: Ut dignitas ordinis, libro 12. Et in libro 5: In nomine Domini, capitulo: Hoc autem, capitulo: De officio Praefecti Praetor, African.

Unde Bernhardus super Cantica in sermone quodam ait: O veneranda sacerdotum dignitas, inter quorum manus velut in utero virginis incurvatur Dei filius. Felices vos dixerim sacerdotes, si sacerdotaliter vixeritis. O coeleste mysterium, uno eodemque momento Deus, qui coelis praesidet, in manibus vestris et in sacrificio. Stupet coelum, horrescit infernus, contremiscit diabolus, revereturque plurimum angelica multitudo. O venerabilium manuum celsitudo, ubi Christus tractat Christum, et sacerdos Dei filium, cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum. Haec iste.

Et hinc est, quod Chrysostomus sacerdos ille praestantissimus, sacerdotii dignitatem in summa tangens, Operis non completi homilia 51, ait: Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculate custodiat. Nam si super omnia opera sit, qui Deo confert lucrum animarum, non solum eum omnibus bonis suis meliorem iudicabit hominem, sed sui ipsius passibilitate proposuit salutem humanam. Ideo magnus est, qui bene regit haereditatem eius, quam proprio sanguine acquisivit. Haec Chrysostomus.

Ad hoc revera tenentur praelati, sacerdotes et clerici. [p. 14] Nam vos, qui estis presbyteri in populo Dei, ex vobis pendet anima illorum. Ad eloquium vestrum corda illorum erigitis, scribitur Iudith 8. Non est autem honor sine onere, nec dignitas sine officio et labore, Institutiones: Diligite in fine, et in libro: Secundum naturam, capitulo: De regulis iuris. Nam cuius plurimum dignitati committitur, ab eo etiam plurima exiguntur, libro: Presbyteri, capitulo: De episcopis et clericis, canonizata 5., quaestione 6: Presbyteri. Unde Alanus: Anxietas et honor se sunt comitantia iure. Si delectat honor, fer onus, fer acumina curae.

Hinc est, domini mei praelati, sacerdotes et clerici, quod nomina dignitatum vestrarum ab officiis denominantur, teste venerabili Isidoro, 7. Ethimologiae, capitulo 12. Ubi prosequens nomina dignitatum vestrarum ecclesiasticarum episcopum quasi superintendentem, sacerdotem quasi sacrificantem, diaconum, quasi ministrantem, et caetera alia ab oneribus ipsis incumbentibus describit. Ut in summa transeam, omnes ecclesiastici ordinis gradus in partem sollicitudinis ecclesiae Dei sunt vocati, 3. Quaestione, 6: Multum.

Nec dignitatibus ecclesiasticis officia sibi annexa seu onera praeiudicant, nam officium suum nemini debet esse damnosum, libro: Sed et si quis, capitulo: Quemadmodum test. a principio. Nec quisquam inde poenam patiunde meritum debet reportare, libro 1. circa principium, capitulo: De donationibus.

Et propter hoc vobis dominis praelatis, sacerdotibus et clericis, ob honorem vestrum, dignitates et officia a divinis imperatoribus maxime sunt concessa, ut capitulo: De sanctis ecclesiis, per totum. Imo a iure divino, quod ab homine divino non est, sed a Deo, 1. distincione: Humanum genus. Unde Chrysostomus Operis non completi homilia 37: Non est iustum, ut nos secundum summi regis mandatum terrenis regibus serviamus. Si enim indignum est, ut a duobus regiminibus homo alterius alteri obsequatur, et iniuriam faciat suo, si subiiciat alienis, quanto magis indignum est, ut cultores Dei humanarum postestatum gravamina cognoscamus. Haec ille.

Omnes autem clerici, a gradu ostiariatus, usque ad summum gradum dignitatis ecclesiasticae, qui in sortem Domini ad deferendum eius vasa sanctitatis vocati sunt, mundi esse debent in omnibus, mente et corpore, eo quod officio divino et sacrificio debent esse intenti, 1. quaestione, 1. capitulo: Necesse. Mundamini, igitur, qui fertis vasa Domini, quae fuerunt verba vestris reverentiis humiliter proposita. In quibus siquidem verbis taliter qualiter introductis, si recte conspicio, clare utique reperio, quod domini praelati, sacerdotes et clerici omnes, qui fuerunt vasa Domini sunt mundandi, primo a tenebris ignorantiae. Eruntque per rectam informationem luminosi. Secundo mundandi sunt ab otio ignaviae. Eruntque per sanctam occupationem operosi. Tertio mundandi sunt a seditione iracundiae. Eruntque per piam compassionem gratiosi. Et quarto mundandi sunt ab ignominia ignaviae. Eruntque per iustam correctionem animosi.

Dixi primo, quod vos, domini mei praelati, sacerdotes et clerici omnes, qui fertis vasa Domini, eritis mundi a tenebris ignorantiae, ut sitis per rectam informationem luminosi. Eritis enim beati informati lumine scientiae et veritatis. Si enim vultis esse mundi a tenebris ignorantiae, diligite lumen sapientiae omnes, qui praeestis populis, Sapient. 6. Neminem enim diligit Deus, nisi quem sapientia etiam habilitat. Est haec enim speciosior sole, quae super omnem dispositionem stellarum luce comparata invenitur, prior illi succedit nox, sapientiam vero non vincit malitia, Sap. 7. Nam praelatis sacerdotibus, et clericis valde turpis est ignorantia scripturarum. Cum teneantur esse literati, ut patet in Authentica: Sanctissimi de episcopis, capitulo 9. Absurdumque est praelatum posteriorem esse populo. Cum

enim alios docere debeat, ab aliis ordinationem doceri non debet, ut in capitulo: Damus, eadem Authentica et collatione.

Sicut enim caeteris animantibus natura inest ignorantia, soli autem homini vitiosum: Ita et vitiosum praelatis, sacerdotibus et clericis, literas ignorare. Ignorantia enim licet omnibus sit noxia, ut in libro: Constitutiones, capitulo: De iuris; et facti ignorantia sacerdotibus camerae et clericis est periculosa, ut in Authentica: Quo oportet episcopos et clericos, licet haec autem, collatione 1.

Tenentur autem praelati, sacerdotes et clerici notitiam habere liberalium artium, et praesertim grammaticae, intelligentiamque sacrae scripturae in Vetum et in Novum Testamentum comprehensam. Primo notitia artium liberalium, et praesertim grammatica est praelatis sacerdotibus et clericis necessaria, libro: Plautus, capitulo De vi et arg. lega. Ut intelligant, quae legunt, aliisque possint explanare doctrinam salutarem, scientiamque pietatis. Scientia autem pietatis est secundum Hieronymum noscere legereque prophetas, intelligereque, prophetias in evangelio credere, apostolos non ignorare.

Sed hodie sunt nonnulli, mihi similes, psalterium manuale vix incorrupte legentes, qui audiant ea, quae sunt Isidori 9. Ethimologiae, capitulo 1. Cum omnium linguarum scientia seu notitia difficilis sit cuiquam, nemo tamen desidiosus sit, ut in sua gente positus linguam nesciat. Nam quid aliud putandus est, nisi animalium brutorum deterior. Illa enim vocis clamorem exprimunt, iste deterior, qui propriae linguae caret notitia. Haec ille.

Secundo tenentur praelati sacerdotes et clerici sacrae scripturae habere saltem notitiam competentem. In tantum enim sacerdotis officium est interrogantibus de lege divina posse respondere. Hanc enim tenentur scire ad erudiendum populum eis commissum. In his igitur vitae tenebris, in quibus peregrinamur a Domino, quamdiu per fidem ambulamus, non per spem desolata debet esse anima Christiana, se deputare Deo, nec dediscat orare, et scripturarum sanctarum sanctorumque sermonum, tanquam lucernae in obscuro loco positae, fidei oculum intendere, donec dies luceat, et lucifer oriatur in cordibus nostris, qui enim cum Deo vult semper esse, frequenter orare debet et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur. Cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Unde Augustinus de admonitione lectionis sic ait: Lectionem divinam avido et scienti corde accipiamus, ut in nobis gaudium spirituale generetur. Et ut nobis scripturae divinae dulcescant, subtrahamus nos aliquibus horis ab otiiis mundi divina eloquia relegentes. Subit: Quid aliud sunt divinae scripturae, nisi litterae nobis in hoc [p. 15] exilio de patria nostra, quae paradus est, missae. Nam post peccatum Aadae misericors Deus per patriarchas et prophetas tanquam per litteras invitatorias nos ad patriam et vitam aeternam invitavit. Et post pauca: Sicut igitur, qui sui domini temporalis nedum mandata non explent, sed literis transmissis legere non curarent, non praemiis et libertate sed supplicio et carcere dignus esset: Ita quisque divino cultui mancipatus divinas scripturas ab aeterna patria transmissas legere dissimulans et recusans, perpetuam poenam non evadet, in tantum enim periculosum est nobis divina praecepta non legere, ut propheta lugubriter clamet: Ideo populus meus captivus est, quia non habuit scientiam legis et prophetarum, qui autem ignorat, ignorabitur, ut in capitulo: Nisi cum pridem, Extra: De renunciatione. Et sine dubio, qui Deum per divinam lectionem dissimulant inquirere, et Deus illos in aeterna beatitudine dedignatur noscere. Haec iste.

Sed, proh dolor, quanti sunt modernis temporibus, qui nec literis sunt eruditi neque eruditi lectionibus divinis, ad paucissimum tempus matutinarum cum animadvertentia vacare nequeunt, occupationibus vanis pervagantes. Quid, putas, isti audient in destructo iudicis adventu? Nescio, vos non novi, vos discedite a me,

operarii iniquitatis, nam qui Deum in hoc seculo legendo nolunt intelligere, in die iudicii, illos Deus dedignabitur agnoscere, iuxta dictum Salomonis: Qui obturat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Augustinus ubi supra.

Omnes ergo praelati, sacerdotes et clerici, si ita, ut praemissum est, fueritis per rectam informationem luce scientiae et veritatis illustrati, a tenebris seu coecitate ignorantiae eritis mundi omnes, qui fertis vasa Domini. Et tantum de primo membro principali.

Dixi secundo quod vos domini mei praelati, sacerdotes et clerici omnes, qui fertis vasa Domini, mundi eritis ab otio ignaviae, ac per sanctam occupationem operosi. Unde Apostolus Rom. 12: Qui praeest in sollicitudine. Sic et post pauca in sollicitudine non pigri. Discreta enim sollicitudo totum otium ignaviae dissolvit, Seneca epistola 1. ad Lucillum. Hoc autem fiet, si fueritis carne casti, si vita sancti, si moribus decori, si ritu ornati, si mente devoti, si pietatis operibus dediti, si circa gregem dominicum vobis commissum fideliter solliciti, ac divino cultui sine negligentia mancipati.

Dixi primo quod vos, domini mei praelati, sacerdotes et clerici omnes, qui fertis vasa Domini, eritis mundi ab otio ignaviae sitisque per sanctam occupationem operosi si carne casti. Mentis enim castitas non aufertur propter violentiam corpori illatam. Nec corrumpitur corpus, nisi prius animus corrumpatur, libro penultimo, capitulo: Ad L. Iulianum de adulteriis. Ad hanc conservandam omnes clerici sunt obligati. Nihil enim sic in sacris ordinibus diligimus, quam in castitate viventes, ut in Authentica: Quoniam oportet episcopos et clericos, capitulo: Hec autem, collatione 1. Castitatem igitur diligo, quae etiam sola Deo cum fiducia possibilis est, animas hominum praesentare, ut in Authentica: De lenociniis, capitulo: Sanximus, collatione 3.

Et licet, domini praelati, sacerdotes et clerici, ad hanc semper conservandam sint obligati, ut patet in locis supra allegatis; maxime tamen tempore sacrificii et ministerii, et longe ante. Exemplo David regis, cui non licuit etiam valde famelico edere panes propositionis, nisi continuerint per certos dies, sin enim suorum puerorum, id est contubernalium omnia vasa munda erant. Nec debet admitti ministerio altaris, cuius castitas probata non est. Siquidem per castitatem erimus pudici. Nemo enim pudicitiam servat in corpore, nisi spiritum prius in sua castitate. Animus namque pudicus non habet impudicum oculum. Quoniam impudicus oculus impudici cordis est nuncius, libro 1., capitulo: De praescriptione triginta vel quadraginta annorum. Per omnia autem decet nos pudice vivere ut in dicta Authentica: Quomodo oportet episcopos et clericos in capitulo: Si vero: 32. quaestione 5.: Nec solo. Haec, inquam, pudicitia est armamentum nobile, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solatium moerentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus civium, religionis melioratio, meritorum multiplicatio, creatoris omnium, Dei amica.

Volentes igitur praelati, sacerdotes et clerici Deum videre, erunt carne integri et mente casti. Soli namque mundi corde Deum videbunt, Matth. 5.

Dixi secundo, quod vos domini mei praelati, sacerdotes et clerici, qui fertis vasa Domini, mundi eritis ab otio ignaviae, sitisque per sanctam occupationem operosi, si fueritis vita sancti et immaculati; hoc enim maxime decet vos clericos. Non enim dignus es habitare in Dei tabernaculo, nisi quem vitae sanctitas commendat, testante Propheta: Domine, quis habitabit etc. Qui ingreditur Ps. 14., si recte. Quia ex sanctitate vitae clericorum Deus reveretur, et nomen Dei non blasphematur.

Dixi tertio, quod Domini, etc. si moribus decori, id est virtutibus illustrati. Mores enim exornant scientiam. Nam illaudabilis est illius scientia, quem vita



maculat turpis et impudica. Et idcirco summe cavendum est, qui quaerit scientiam, ut non negligat morum disciplinam. Imo plus facit famosa rerum dignitas, quam generis nobilitas, 4. distinctione. Mores enim dignitati praeferuntur, libro: In testibus, capitulo: De testibus, et ibi glossa: Mores etiam boni divitiis praeferuntur, libro: Scire oportet, capituli fine: De tutoribus et curatoribus dativis. Ab his eritis ergo moribus decori. Quod fuit tertium.

Dixi quarto, si ritus ornatus. Hic consistit in gravitate morum per incessus, in vestitu decenti, in membrorum gestibus et capitis tonsura. Quorum declarationem gratia brevitas omitto.

Ritus etiam clericorum aut est interior aut exterior.

Interior consistit in virtutibus et moribus bonis, quibus debent esse ornati clerici. Ne aliqui sedentes in cathedra iniuriam faciant cathedrae, 40. distinctione: Multi. Et secundum Senecam multos regens si se rexerit, ab illo discas, quid et quemadmodum aggredi debeas, epistola 37.

Exterior in temperantia cibi et potus. Decet enim clericos esse sobrios et non ebriosos, ut in capitulo: A crapula, Extra: De vita et honestate clericorum. Eritis ergo moribus decori, quod fuit quartum.

[p. 16] Dixi quinto quod mundi eritis ab otio ignaviae etc. si pietatis operibus dediti et mente devoti.

Haec enim opera cum sint bona, vigilanter sunt facienda. Nam misericordia seu pietas est pulchritudo et perfecta forma virtutum. Et licet sit duplex, corporalis et spiritualis: Corporalis tamen, de qua sermo, consistit in septem operibus misericordiae, quae hoc versu continentur: Poto, cibo, visito, redimo, tego, colligo, tondo. Misericordia vero maxime reducitur ad hospitalitatem et eleemosynae largitionem. Et licet nemo de facienda eleemosyna excusatur, clericis tamen non prodest lectio vel oratio, nisi adsit eleemosynae largitio, 86. distinctione: Singulis. Per hanc siquidem consequimur bona praesentis et futurae vitae. Per hanc ira Dei placatur. Nam plerumque ex diversa ira mundus fame et penuria comprimitur, quia pauperibus eleemosyna subtrahitur. Per hanc peccata nostra redimere possumus. Per hanc etiam angelorum consortio gaudemus, exemplo Cornelii centurionis, de quo Actor. 10., qui propter opera misericordiae, quae potissimum in eleemosynarum largitione faciebat, merebatur angelorum colloquium habere. Date ergo eleemosynam, et omnia munda erunt vobis. Luc. 11: Sitis ergo mente devoti et pietatis operibus dediti.

Sed dixi sexto quod eritis circa gregem dominicum vobis commissum fideliter solliciti, si vultis esse mundi ab otio ignaviae, ut videlicet qualitercunque subditi a vitio ad virtutes verbo et exemplo trahantur. Eritis etiam praesertim solliciti, ut pauperes defendantur, oppressi redimantur, et ecclesiae seu monasteria tueantur egenos a penuriis relevantes. Quoniam cum honoris vestri et dignitatis augmento cura quoque sollicitudinis crescere debet, libro: Praebenda, capitulo: De episcopis et clericis, sicque eritis circa gregem, quod fuit sextum.

Dixi septimo et ultimo quod mundi eritis ab otio ignaviae, sive fueritis divino cultui sive negligentia mancipati. Nam officium cultus divini, ad quod omnes praelati, sacerdotes et clerici sunt instituti, diligenter sine negligentia est exequendum. Ad hoc enim tenentur clerici in sacris existentes et beneficiati, ut horas canonicas et officium divini cultus diligenter exsolvant.

Et licet Deum semper et omni tempore teneamur colere, dicente Propheta: benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, Psalmo 33. Ecclesia tamen catholica septem horas, quas canonicas et regulares vocat, praelatos sacerdotes et clericos divini cultus officiis vacare instituit. Nam servitutis clericorum

est, septem horarum officia persolvere qualibet die. Has tenentur in ecclesiis, quando possunt, devote et studiose persolvere et distincte, sine syncopatione, in ecclesiis. Quia laus eius in ecclesia sanctorum. Et in ecclesiis benedicite Domino, Psalmo 67.

Devote et studiose. Mens enim qualem se in oratione offert, talem post orationem se conservat. Longe autem a Deo est animus, qui in oratione occupationibus seculi fuerit occupatus.

Tunc ergo veraciter oramus, quando aliena non cogitamus. Haec Isidorus De summo bono, capitulo 7.

Distincte etiam et intelligibiliter. Ut proficiat legentibus et audientibus, et reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea, Psalmo 66.

Praelati, ergo, sacerdotes et clerici, si fueritis carne casti, vita sancti, moribus decori, ritu ornati, mente devoti, pietatis operibus dediti, circa gregem vobis commissum fideliter solliciti, ac divino cultu sine negligentia mancipati, eritis mundi ab otio ignaviae, et per sanctam occupationem operosi. Et tantum de secundo principali.

Dixi tertio et principaliter, quod vos, domini praelati, sacerdotes et clerici omnes, qui fertis vasa Domini, mundi eritis a seditione iracundiae sitisque per piam compassionem gratiosi. Iracundia namque facit illud committere, de quo quis postea solet multum dolere. Et praesidens iudicio ab iracundia vacare debet, quia talis Dei iustitiam non operatur. Est ergo laudabile in praelatis, ut nil agant in subditos, priusquam concitata mens per iracundiam ad tranquillitatem redeat. Imo rectores aliorum non debent ex levitate vel furore praecipitare sententiam vindictae, sed matura praehabita deliberatione, libro: Hac edictali, capitulo: Da sententiis experitur rectim. Unde Isidorus libro 3. De summo bono, capitulo 40: Iracundi praelati per rabiem furoris disciplinae modum ad immanitatem crudelitatis convertunt, et unde emendare subditos poterant, inde potius vulnerant. Ideo autem sine mensura ulciscitur culpas praelatus iracundus, quia cor eius dispersum in eorum curis, non colligitur in amore unius deitatis. Mens quidem, soluta in diversis, catena charitatis non astringitur, sed male laxata male ad omnem occasionem movetur. Haec autem ex superbia nascitur, quae subditos non benevolentia, sed cum asperitate corrigere nititur. Bonus enim rector est, qui et humilitate servat disciplinam, et per disciplinam non incurrit superbiam. Elati pastores plebem tyrannice premunt, non regunt.

Eritis ergo erga subditos humiles. Nam boni praelati potius per humiliorum mansuetudinem studebunt peccantes revocare, quam per austeritatem in foveam perditionis repellere, 40. distinctione: Recedite. Hanc Christus verbis et factis dedit vobis in exemplum, quae multum commendabilis est in clericis, fulgens in eorum cervicibus omnium alio spendidius. Quia per eam Christus pro salute generis humani descendit de coelis, de sinu Patris in uterum virginis, libro: Victor, collatione: Omnes, capitulo: De summa Trinitate et fide catholica.

Praelati enim sacerdotes et clerici erga subditos non solum autoritate sed humilitate clarescere debent.

Ita tamen erit in eis humilitatis virtus, ne dissolvatur vita subditorum in vitiis. Nimia enim familiaritas parit contemptum. De servandis, capitulo: De officiis presbyterorum. Atque ita aderit autoritas potestatis, ne per timorem cordis severitas existat immoderationis.

Agnoscant praelati servos se esse plebis, non dominos. Debent etiam compatientes esse tribulationibus, infirmitatibus et angustiis subditorum, ut inquit Apostolus Ephes. 3. et in epistola dominicae currentis. Nam vacuum et inane est nomen praelati seu pastoris, qui necessitatem patientibus non compatitur. Debent enim nomina esse et consonantia rebus, capitulo: Est et aliud, Institutiones de donat.

[p. 17] Haec autem compassio, quae fuerit adagentes sive delinquentes, semper cum discretione est facienda, sic enim erunt subditis gratiosi. Quia gratia est per compassionem, nihil tollere, ubi tamen posset 1. quaestione 1.: Gratiam. Vos enim domini praelati, sacerdotes et clerici hoc modo eritis a seditione iracundiae mundi ac per piam compassionem gratiosi. Quod fuit tertium principale.

Dixi quarto et ultimo, quod vos, domini praelati, sacerdotes et clerici, qui fertis vasa Domini, mundi eritis ab ignominia infamiae, sitisque per iustam correctionem animosi. Nam confidens de sua bona conscientia et famam negligens, crudelis est. Tali namque portae dignitatis non patebant, libro 2., capitulo: De dignitate, collatione 12. Imo qui custodit famam suam etiam in aliis misericors est. Melius est nomen bonum, quam unguentum pretiosum, libro: Quisquis, capitulo: Apud, et ibi notatur capitulo: De postumis, Institutiones de suspectis tutoribus. Incurrunt autem, sacerdotes, praelati et clerici, notam infamiae aliquando ex divina dispensatione, ut examinentur, purgentur vel probentur, exemplo Iob, 6. quaestione 1.: Sunt plurimi. Unde Augustinus in quodam sermone: Quem diabolus seductum ad nequitiam devorare non potest, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri possit, opprobriis hominum et malarum detrectatione linguarum deficiat, et sic in eius fauces ruat. Sed certe praelatorum, sacerdotum et clericorum conscientia, si recta fuerit, infamia huiusmodi est vilipendenda, teste Ovidio libro 3., De tristibus:

Conscia mens recti famae mendacia ridet.  
Vos tamen in vitium credula turba trahit.

Incurrunt etiam infamiam ex negligentia iustae correctionis in praelatis, perdit disciplinam in subditis. Et negligentes rectores multum saepius nutriunt pestilentiam, dum dissimulant adhibere remedium. Correctio enim praelatorum in subditos fieri debet, quantum potest, pro uniuscuiusque gradu et persona, salva pace, semper animo medendi non saevienti, libro: Item quaeritur, capitulo: Item Iulianus, collatione: De locationibus et conductionibus. Unde Chrysostomus, Operis non completi homelia 22.: O quantum quamque gratuitum sit et utile bonum ecclesiasticae pacis, quam flagranti et sollicito amore quaerendum. Ideo praelati et sacerdotes et clerici discordantes subditos magis debent ad concordiam, quam ad iudicium provocare, facit libro: Quidam existimaverunt, capitulo: Si ter peta.

Praelati ergo et sacerdotes et clerici pro populorum subditorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt, testante Domino ad Prophetam: Speculatorem te dedi domui Israel, si non fueris locutus, ut custodiat se impius a via sua, ipse iniquitate morietur sua, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Sic enim Eli sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, licet eos delinquentes admonuerit, non tamen ut oportebat, redarguit, ut in capitulo: Licet Eli, Extra.: De simonia.

Debent etiam praelati caeterique clerici patienter suorum subditorum reprehensiones sustinere, zelo Dei ecclesiae factas. Maxime, si praelati in hoc negligentes vel criminosi fuerint, arguente libro 3., capitulo: Sed si dedi, collatione: De conditione ob causam. Primus enim pontifex beatus Petrus, in hoc, quod non repulit reprehensiones subditorum, exemplum dedit nobis idem faciendi, 2. quaestione 7.: Petrus. Multi enim inveniuntur Deo libere servientes, sub Dominis constituti flagitiosis, qui, etsi illis subiecti sint corpore, praelati tamen sunt mente, Isidorus 3. De summo bono, capitulo 47. Debet autem ecclesia catholica correctis et pietate firmatis filiis libenter ignoscere. Quia gremium suum nunquam redeuntibus clausit ecclesia, ut in epistola inter claras, collatione: Aequum, capitulo: De summa Trinitate

et fide catholica. Cum ipsi beato Petro personam eius gestanti, dum in mari titubasse, dum Dominum carnaliter a passione revocasset, dum auriculam servi praecidisset, dum Dominum ter negasset, dumque in peccata simulatione superstitiosa lapsus esset, veniam concessam esse, eumque correctum, postque mundatum atque firmatum, usque ad Dominicae passionis gloriam pervenisse legamus. Haec Augustinus de agone Christiano circa finem. Sicque domini praelati, sacerdotes et clerici omnes, qui fertis vasa Domini, mundi eritis ab ignominia infamiae, sicque per iustam correctionem animosi. Quod fuit quartum et ultimum.

Quia igitur spes precesque non frustra in Deo ponuntur, quae cum iustae fuerint, inefficaces esse non poterunt. Adversemur vitia, virtutes colamus, ad rectas spes animos nostros sublevemus, humilesque preces in excelsa porrigamus ante oculos iudicis cuncta cernentis iuxta verba Boetii, 5. De consolatione, prosa ultima. Verificetur, quod de ore salvatoris nostri Ioh. 14. scribitur: Iam vos mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis. Quod vobis pariter et mihi concedat, qui in sempiternum vivit et regnat. Amen.